



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 135. Ad quem spectent fructus Beneficii post mortem Beneficiati, vel pensiones post mortem pensionarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

Ob temeritatem, si quis sine presbyterio legat Missas & Confessiones audiat, q. 223. Ob simulationem supponentis se loco alterius pro beneficio obtinendo vel pro examine, q. 224. Ob crimen læsæ Majestatis humanæ, q. 225. 226. 227. Ob hæresin, q. 228. 229. Ob receptationem aut favorem hæretico exhibitum; vel ob procreationem ab hæretico, q. 230. 232. Ob apostasiam & schisma, q. 231. Ob imperationem beneficii ad preces hæretici, q. 233.

§ VIII. Si privandus citatus non compareat, est, 947. tanquam contumax, habendus pro convicto & confessio, adeoque ad pœnam ordinariam condemnari potest, *Luca* n. 7.; Si tamen compareat intra annum & purget contumaciam, cessat omnis effectus sententiæ: si autem compareat & purget post annum, quando jus in beneficio est alteri quæsitum, juvari non potest, *Farin. Lott. Leur.* q. 18.

§ IX. Delicta, quæ non privant ipso jure, non 948. impediunt restitutionem in integrum, *Abb. Paris.* Et quidem justè privatus restituitur ex gratia, injustè privatus, ex debito. Vide *Leur.* q. 179., ubi etiam explicat, an imploratio restitutionis in integrum suspendat executionem.

§ X. Beneficium vacans per privationem sive 949. juris sive sententiæ ob delictum vel aliam causam, cadit sub Regulam mensium, nisi aliunde sit reservatum, *Nav. Gonz.* Gl. 15. n. 156. Nequit autem conferri Judici nec Judicis nepoti, consanguineo, affini, sollicitatori, Procuratori, domestico, familiari, ob bullam *Pii IV. Cupientes*, apud *Gonz.* n. 158., ut sic vitetur occasio fraudum & injustitiæ.

Q. 135. *Ad quem spectent fructus beneficii post 950. mortem beneficiati, vel pensiones post mortem pensionarii. R.*

§ I. Fructus beneficii à die vacationis spectant, per



per se loquendo, ad illum, qui beneficium obtinebit, nisi defunctus habeat annum gratiæ, tunc enim spectabunt ad hæredes, uti dictum est n. 673. Et quoad fructus, qui restant vel obveniunt v. g. Sede Episcopali Vacante, Caput, *Quia saepe*. de Elect. in 6., suspendit ab officio & beneficiis illos Capitulares, qui occupant aut dividunt inter se dimissa à defuncto Prælato aut obvenientia tempore vacationis. Similiter Caput *Statutum De Elect.* in Clement. declarans Caput, *Quia saepe*, sic habet, *Statutum super bonis, à Prælati Cathedralium, Regularium & Collegiatarum Ecclesiarum dimissis aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris successoribus, fideliter reservandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex jurisdictione & sigillo Curia Ecclesiastica vel secularis, aut aliàs undecumque, quod ad Prælatos (Ecclesiis non vacantibus) pertineret: consuetudine qualibet contrariâ non obstante, ita tamen, quòd in istis & similibus rationabiles deducantur expensæ.* Idem declaravit S. Congreg. 5. Aprilis 1627. uti videri potest apud *Fermosinum De potest. Capit. Sede Vacante*, tr. 1. q. 4. n. 6. Intellige hæc, per se loquendo, id est, præscindendo à privilegio, statuto vel novâ consuetudine legitimè præscripta. Probabiliùs autem tenent *Covarr. Mol.* uterque, *Gutt. Paris.* & alii, quos citat atque sequitur *Garciat de Benef. p. 2 c. 1. n. 96.* fructus pro rata anni dividendos esse inter defunctum & successorem: & consequenter ex fructibus respondentibus tempori vacationis, peti poterunt expensæ faciendæ in onera v. g. aulae per tempus aliquod continuandæ, nam in dicto Cap. *Statutum* additur, *ita tamen, quòd in istis & similibus rationabiles deducantur expensæ: Sunt autem rationabiles ejusmodi expensæ, tam ditu*  
enim



anim censetur domui suæ præesse Prælati: Item si Ministris & Officialibus secundum loci consuetudinem solvantur salaria usque ad certum tempus: hinc *Glossa* ad dictum Cap. Verbo *Expensis*, ait, *hoc etiam ibidem addebat Archidiaconus, ut quia salaria dantur Officiali . . . . vel sunt expensæ in Ministris &c.* Intellige semper, nisi obstat statutum vel alia consuetudo.

§. II. Putat *Tond.* qq. benef. p. 1. c. 22. n. 2. 951

Fructus beneficii, si exacti non sint ante obitum beneficiati, non transire ad hæredes, sed remanere in dominio Ecclesiæ, verum oppositum cum communi docet *Galli* disp. 37. n. 7., Quia tales fructus, quando cessit dies, habentur pro perceptis, ergo sicut fructus percepti spectant ad hæredes, ita etiam exigendi; similiter si pensionarius moriatur ante terminum solvendi, beneficiarius solvere debet hæredibus pro rata fructuum perceptibilium usque ad illud tempus, uti cum communi *Garc.* p. 2. c. 1. n. 106. *Tond.* n. 4. *Lott.* l. 1. q. 44. n. 16. *Galli* n. 8., quem vide totâ disp. 37. Vide etiam dicenda n. 962. & 1162. Item *Luca* de benef. disc. 100.

Q. 136. Quid in genere notandum sit circa resignationem. R. Seqq. 952

§. I. Singulas particulas in definitione resignationis positas explicat *Leur.* p. 3. q. 234. Divisiones autem exponit q. 235., inter cætera rectè notans cum *Nav. Barb. Lott. Pirh.* contra *Az. Castrop.* & alios, resignationem tacitam non esse quamcumque amissionem beneficii, quæ fit ex sola juris dispositione independentè à voluntate beneficiati ( hæc enim non est resignatio, sed potius privatio jure ipso, v. g. ob initum matrimonium ) sed esse talem dimissionem, quæ absque verbis vel scriptura inducitur à jure ipso per quandam interpretationem voluntatis beneficiati